

Handwritten numbers and symbols on the right edge of the page, including '3', 'y', 'o', '6', and '7'.



Pr. 52. Roma. 3.

DISPUTATIO JURIDICA

De

LEGATIS,

QVAM,

FAVENTE DEO OPT. MAX.

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo ac Consultissimo

DN. GERHARDO von Stöffen/

J. U. D. ac in Illustri Argentoratensium Uni-

versitate Inst. Imperial. Profess. Publ. Dno. Fau-

lore ac Præceptore suo omni honoris ac obser-

vantiæ cultu ætatem devenerando.

SOLENNI


Eruditorum Examine submittit

NEVELINUS JOHANNES COTHMAN,

Lemgoviâ Westph. Autor & Resp.

Ad diem 21. Mensis Novembr.

In Auditorio majori Horis solitis.



ARGENTORATI,

Literis JOHANNIS WELPERI.

ANNO M. DC. LXVII.



73.

20

734

3.

20

1667 19.

P. 282





V I R I S

*Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis
ac Consultissimis*

DNO. NEVELINO *Zilhen/*
Icto Celeberrimo, Hereditario in Lemgo / Illu-
strissimi Comitis Lippiaci Consiliario intimo, ac Cancel-
lario dignissimo.

DNO. JOHANNI *Brevenstein/*
J. U. Doctori, Hereditario in Enger & Geseke/
Dicafterii Paterbornensis Assessori gravissimo, & Practico
famigeratissimo.

ut &
V I R O


Prudentissimo ac Integerrimo

DNO. HERBOLDO *Otterjegern/*
Civitatis Saltzcotiensis Consuli meritissimo.

*Dominis, Avunculo ac Propatri, Affini,
Cognatis, Patronis ac Promotoribus suis, omni ob-
servantia pietatisq; cultu aeternum devenerandis*

Hoc quaecunq; Exercitium Academicum
offert ac dedicat

Nevelin. Johan. Cothman.
Autor & Resp.



QVOD DEUS BENE VERTAT.

HGregium sanè atque cedro dignum nobis sistit monitum Princeps JurisConsultorum Paulus *in l. 25. vers.* Et plenius, *ff. de liber. leg.* quando nimirum in Jure Civili non quæ rarò & infrequenter contingunt, sed quæ quotidiana sunt, plenius & diligentius nos attingere hortatur. Noverat quippe acutissimus Jctus, esse quosdam ita perniciosè industrios, ut in supervacaneis ac abolitis summo cum labore, omne volvere saxum nō gravarentur, quoad cætera, quæ quotidiana commendat frequentia, quibusque tota fora, tota personant tribunalia, vel minimum movere lapillum turpiter recusarent. Cum verò materiam Legatorum utilissimam simul ac frequentissimam esse communis Schola cum Curia indies edoceat, utpote quæ testamenti pars non quidem integralis, cum absque ea testamenta subsistere possint, sed accessoria rectè vocetur. Vacon. à Vacun. *lib. 4. declarat. 52.* hinc operæ pretium me facturum credidi, si pauca de ea tyrocinii loco, & quantum pro ingenii mei viribus fieri possit, in disputationis argumentum conscriberem. Ne verò per vastum in ea versari sine methodo videar agrū, sequentibus eam includam capitibus: Primò exponam Legati Etymologiam ac Homonymiam, quibus

A 2 genui.

genuinam subnectam Definitionem, 2. Divisionem
sive genera legatorum proponam. 3. Causam Effici-
entem. 4. Subjectum tam *honoratæ* personæ, quam
oneratæ. 5. Objectum. 6. Formam, 7. Finem. 8. Ef-
fectum legatorum actionesque inde descendentes,
ac denique 9. paucis quoque Contraria, legatorum
ademptionem ac diminutionem addam.

THESIS I.

ETYMOLOGIAM quod attinet, Legatum quidam à legen-
do seu deligendo deducunt, Wesemb. *in π. ff. de leg. 1. n. 2.*
Donell. 8. *Commentar. de iur. Civ. c. 1.* Treutl. *volum. 2. Disp. 13.*
th. 1. lit. A. Coll. Jur. Arg. *h. t. th. 2.* cum legare idem sit ac dimit-
tere à se aliquem seu personam, quam legatum dicimus. Qui-
dam verò ab antiquo verbo *λήγειν*, unde *λέξις*, quod veteribus
Græcis idē valet quod legatū, vel potius bona & hereditas, Giph.
ad Inst. de leg. Harprecht. *ad § 1. Inst. h. t. n. 1.* Nos à lege dictū
putamus, quod ut plurimum legis modo, h. e. imperativè relin-
quatur, Ulp. *in fragm. tit. 24. pr.* Dn. D. Ludvvel. *Disp. 9. Justin.*
th. 1. lit. b. Gædd. *ad l. 120. ff. de V. S. n. 1.*

2. Relictâ derivatione vocis, explicanda nunc venit
HOMONYMIA. Legati enim vocabulum polysemon est, re-
fertur enim 1. ad Personas, & ad has relatum, verbum *legare* idem
significat ac mandare, unde vox *Legatus*, cuius operâ Princeps u-
titur. 2. Ad Res, & ad has relatum accipitur tripliciter, 1. Gene-
ralissimè, ita ut latitudine suâ quamlibet facultatem disponendi
per ultimam voluntatem comprehendat, *l. 77. l. 87. de leg. 3. l. 80.*
l. 120. ff. de V. S. & ibi Gædd. 2. Generaliter, ut etiam compre-
hendat fideicommissa; quemadmodum etiam nomine legatarii
venit fideicommissarius, *l. 96. pr. de leg. 1. l. 11. §. 16. l. 34. pr. l. 85.*
l. 87. de leg. 3. 3. Specialiter, ac ut opponitur fideicommissō, *arg.*
d. tit. Inst. de leg. §. 10. l. de fideicom. hered. Atque in hac speci-
ali vocis hujus acceptione usurpatur 1. vel formaliter & abstra-
ctivè pro jure legati, sive titulo, vid. *t. t. ff. pro legato.* vel 2. Ma-
terialiter & concretivè, & quidem 1. pro ipso legandi actu, §. 1.
l. b. t.

5.

1. *h. t. l. 116. ff. de leg. 1.* 2. Pro re ipsa legata, sic dicitur legatum dare, accipere, &c. uti hæc egregiè enucleat Magnificus Academia nostræ Antecessor Dn. D. Rebhan, Patronus & Præceptor meus æternū devenerandus *Hodog Iur. chart. II clim. 11 p. 352. & 353.*

3. DEFINITUR autem Legatum in speciali significatione à Justiniano: Donatio quædam à defuncto relicta, ab herede præstanda, quæ ultima verba rectè retinentur, Vinn. *ad §. 1. 1. de leg.* Ab hac Justiniani, verbis non re differt definitio Florentini in *l. 116. de leg. 1.* Quod sit delibatio hereditatis &c. & talis est ex natura sua, non respectu legis Falcidiæ. Idem dicendum de definitione Modestini in *l. 36. ff. de leg. 2.* & Ulp. in *fragm. t. 24. pr.* Et hæc definitiones naturam legatorum satis explicant, & à fideicommissis distinguunt. Justinian. enim Legatum non secundum exæquationem, sed secundum jus vetus definire voluit Dn. D. Ludvv. *d. th. lit. f.*

4. Hæc de Definitione, sequitur nunc DIVISIO. Erant olim Legatorum genera quatuor. 1. Legatum per Vindicationem. 2. Per Damnationem. 3. Sinendi modo. 4. Per Præceptionem, de quibus latè Ulp. in *fr. tit. 24.* Et hæc legatorum genera differabant à se invicem, materiâ, formâ & effectu. vid. hic Harprecht. *ad §. 2. 1. h. t.* add. Vinn. *ibid.* hinc non probatur eorum opinio, qui duo tantum distincta genera statuunt, Ant. Fab. *6. conj. 1.* Hodie ex Constitutionibus divorum Principum, Constantini, Constantii & Constantis, *l. 21. C. de leg. §. 2. 1. de leg.* & Justiniani, *l. 1. & 2. C. comm. de leg.* subtili verborum solennitate sublata, omnibus legatis una est natura, nullâ relicta discrepantiâ specificâ. Coll. Arg. *h. t. th. 6.*

5. CAUSA EFFICIENS Legatorum est voluntas ejus, qui habet jus & potestatem testandi. Nam qui non potest testari, ille nec legata relinquere, *l. 2. de leg. 1. l. 1. §. 2. de leg. 3.* v.g. de statu suo dubitans, servus, filiusfamilias &c. qui ne quidem consensu patris testari potest, *l. 6. ff. qui testam. fac. poss.* vid. Bach. *ad Treutl. Disp. 13. th. 2. lit. A.* Quæritur hîc, An filiusfamilias de bonis adventitiis, quæ pleno jure ad eum pertinent, testari, ac per consequens testamento legata relinquere possit? Neg. arg. *l. penult. C. qui test. fac. poss.*

6. SUBJECTUM sunt personæ tam honorata, quam onerata,

A 3



onerata, hoc est, quibus & à quibus præstantur. De *honoratis* personis regula traditur in §. 24. l. de leg. qua dicitur omnibus illis legari posse, qui testamenti factionem passivam habent. Unde quidam sunt incapaces legatorum, & idè ipsi relicta pro non scriptis habentur, atque apud heredem (nisi adsit substitutus vel conjunctus, l. un. §. 8. C. de cad. toll.) remanent, etiam sine onere, d. l. un. §. 3. favore tamen alimentorum etiam iis rectè legatur, qui heredes institui nequeunt, l. 11. ff. de aliment. & cib. leg. l. 3. ff. de his quæ pro non script. Myns. ad §. 24. Inst. de leg. n. 4. quidam verò sunt quidem capaces, sed iis ut indignis fisco auferit. Quicquid enim auferitur indigno, id omne fisco cedit, l. 2. pr. §. 1. in f. l. 5. §. 3. 4 & 6. l. 6. in f. l. 9. §. 2. l. 13. 14. 16. §. 2. l. 18. §. 1. l. 20. ff. de his quæ ut indign. l. 18. §. 14. ff. de inoff. test. C. J. A. ad tit. de his quæ ut indign. th. 4. Quæ autem pro non scriptis habentur, non cedunt fisco, l. 1. & t. r. de his quæ pro non script. hab. C. J. A. d. r. th. 2. Prioris generis sunt vel absolutè tales, ut qui in rerum natura non sunt, cum testator ignoret, l. 16. §. 2. de leg. 1. l. un. §. 3. C. de cad. toll. item servi ut servi, l. 3. de his quæ pro non script. ex persona verò domini servis legari potest, l. 12. §. 2. de leg. 1. Dn. D. Struv. Exercit. 3 §. th. 4. item deportati, quibus tamen alimenta relinqui possunt, l. 16. ff. de interdict. & releg. l. 11. de alim. & cib. leg.

7. Sic porò incapaces legatorum sunt omnes peregrini, veluti: Qui fasces Imperii Romani non agnoscunt, l. 1. C. de hered. inst. Qui per damnationem servi pœnæ sunt effecti, per text. in l. 3. ff. de his quæ pro non script. Hostes, l. 5. §. 1. ff. de cap. min. Heretici, l. 4. §. 5. C. de heret. & Manich. Apostata, l. 1. C. de Apost. In opus publicum perpetuò damnati, l. 17. §. 1. ff. de pœn. vid. plura Coll. Arg. h. t. th. 18. & seqq.

8. Incertis quoque personis jure veteri ut & posthumo alieno legari non poterat, §. 25. 26. l. h. t. excipiebatur tamen casus, si ex certis personis incertæ legabatur, e. g. ille qui ex cognatis meis, qui nunc sunt, filiam meam duxerit, ei heres meus centum dato, quod valebat, d. §. 25. l. h. t. Captivis verò & pauperibus licet incertis, ob favorem tamen piarum causarum legari poterat, per text. in l. 24. C. de Episc. & Cleric. jung. l. 28. pr. eod. ubi tamen notandum, si incertæ personæ relictum heres solvisset,

non

7.

non poterat tanquam indebitè solutum repetere, d. §. 25. l. h. t. adde Vinn. *ibid.* Hodie verò ex Constitutione Justiniani, cujus in §. 27. l. h. t. Justinian. meminit (sed in Cod. nostro non extat) rectè legatur, modo persona illa non planè sit incerta, verum ex quibusdam de ea constare possit circumstantiis, l. 62. §. 1. de hered. instit. Mantica de conject. ult. volunt. lib. 8. tit. 14.

9. Nihil etiam interest, si vera sint persona, si ve ficta, v.g. Universitates, Collegia, arg. l. 22. ff. de fidejuss. quibus hodie ut & Civitatibus rectè legatur, l. 32. in fin. l. 73 §. 1. l. 117. l. 122. pr. de leg. 1. Censetur autem tunc Collegiis ut Collegiis legatum, adeoque in commune conferendum, arg. l. 20. de reb. dub. Dn. Richter dec. 37. n. 48. Dn. D. Lauterbach in Coll. digestor. h. t. tb. 7. modò sint licita, & speciali privilegio munita, l. 20. ff. de reb. dub. Hinc Judæorum Collegio nihil, l. 1. C. de iud. licet singulis Judæis rectè legari potest, D. Carpz. in l. F. part. 3. const. 13 d. 36.

10. Secundum quid legatorum incapaces sunt, quibus quod legatum est, certa ratione non subsistit, ut sunt liberi naturales, l. 2. C. de nat. lib. quo etiam referimus, si quis ipse sibi quid adscripsit testamento, l. 1. ff. de his que pro non script. nec refert, an testator id scribi jusserit, nec ne, l. 3. C. de his qui sibi adscrib. Except. petas ex l. 22. §. 3. 4. 5. l. 11. ff. ad L. C. de Fals. vid. Dn. Struv. dict. Exerc. tb. 4. Subsistit tamen legatum judici & Scabinis relictum in testamento, quod coram ipsis oretenus fuit confectum, Dn. Carpz. 6. resp. 24. Heredi verò coheredem non habenti legari nequit. Darentur enim legata heredi à se ipso, quod jus non patitur, l. 34. §. 11. l. 116. §. 1. de leg. 1. Posterioris generis incapaces sunt omnes, qui cum alias capaces, ipsis tamen tanquam indignis aufertur, adeoque fisco cum sua causa applicantur, quod patet ex t. t. de his que ut indign. l. 4. l. 6. C. de incest. nupt.

11. Ut autem valeat legatum necesse est, ut constet, de qua re senserit testator, in dubio autem stamus iudicio heredis, l. 37. §. 1. l. 32. §. 1. l. 50. §. ult. de leg. 1. Nihil autem refert si ve nominatim, si ve circumscriptioe persona demonstratur, l. 58. de hered. inst. hinc si de certa persona ac re constet, nec error nominis, nec falsa causa aut demonstratio per se nocet legato, v. §. 29. 30 31. l. h. t. l. 72. §. 6. ff. de condit. & demonstr. Grass. lib. sentent. §. legatum. quest. 65. per tot. add. Vinn. ad §. 29. l. h. t.

12. Sequitur



12. Sequitur ut de *oneratu* personis agamus, seu iis, quæ præstant legatum. Veteri jure tantum præstabantur ab heredibus in testamento scriptis: hinc dicitur in §. 1. *l. h. t.* ab herede præstanda, sed novo etiam ab aliis præstari possunt personis, ad quas aliquid est perventum morte legantis, vel dando, vel non adimendo, *l. 1. §. 6. de leg. 3. l. 6. in f. cod.* Hinc legari potest à scripto herede, *l. 66. §. ult. de leg. 2.* à substituto, *l. 74. de leg. 1. l. 11. §. 5.* (non verò eo, qui exheredato filio substitutus, *l. ult. pr. de leg. 3. l. 24. c. h. t.*) & generaliter ab instituto relicta à substituto repetita censentur, *Fach. 5. contr. c. 39.* à legatario & fideicommissario, *pr. Inst. de sing. reb. l. 84. pr. l. 91. §. 4. de leg. 1.* Vinn. *ad pr. 1. de sing. reb.* à debitoribus defuncti, *l. 77. de leg. 1. l. 37. §. 3. in fin. de leg. 3.* ab heredibus legitimis, & bonorum possessoribus ab intestato, *l. 92. §. ult. l. 126. §. 1. l. 127. de leg. 1.* à fisco, cui bona vacantia quærentur, quæ per heredis institutionem alii dari potuerunt, *l. 114. §. 2. de leg. 1. l. 17. §. 5. in f. ad SC. Treb.* vid. plura in *C. I. A. th. 14. & seqq.*

13. OBJECTUM legatorum sunt *Res & Facta*: *Res* considerandæ & distinguendæ diligenter. 1. An res legatæ non sint in rerum natura, & hoc casu iterum, an neque potentiâ neque actu, & hoc modo legatum ipso jure est nullum, *l. 7. §. 1. de trit. leg.* quæ verò aliquando sperantur, rectè legantur, *§. 7. l. h. t. l. 24. pr. de leg. 1.* & habetur tale legatum quoad transmissionem pro puro, ita, ut quamvis legatario vivo nihil sit natum, heredes tamen ejus fructus quandocunque natos, nihilo secius petere possint, *l. 25. §. 1. ff. quand. dies leg. jung. l. 99. ff. de condit. & demonstr. at quoad dispositionem & obligationem pro conditionali, l. 73. de V. O.* de hoc ulterius videre est Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 13. th. 5. lit. B.* Suthold *diff. 10. aph. 13.*

14. 2. An sint in rerum natura, & hoc casu disting. 1. an sint in commercio. 2. an non sint in commercio, quæ iterum duplicis sunt generis, aliæ enim *absolutè & simpliciter* sunt tales, aliæ *secundum quid*. Simpliciter extra commercium sunt, quæ nulli hominum, ac nulla ex causa acquiri possunt, vid. *l. 39. §. 10. de leg. 1.* hoc casu legatum adedò inutile perhibetur, ut ne æstimatio quidem debeat, *§. 4. Inst. h. t.* adde Vinn. *ad d. §. 4. n. 5.* Harppr. *ibid. n. 17.*

15. Secun-

15. Secundum quid extra commercium sunt, quæ deserviunt quidem usibus hominum, sed non quorumlibet. Sic horti Salustiani, fundus Albanus, qui usibus Principis deserviebat, item prædia, quæ sunt in patrimonio Cæsaris, inutiliter legantur, *l. 39 §. 8. & ult. de leg. 1.* quibus accenseri possunt res ita aliis junctæ, ut sine ingenti dispendio ab aliis separari aut avelli nequeant. Cujus generis sunt columnæ, marmora, & alia ædificiis junctæ, quæ eximi prohibentur, ne aspectus urbis deformetur, *l. 2. C. de adif. priv. l. 41. §. 1. & seq. l. 42. 43. de leg. 1.* Valet tamen interdum harum rerum legatum, si res tales sine damno auferri possunt, *l. 43. §. 1. dict. tit.* vel ad opus publicum faciendum talia sint legata, *l. 41. §. 5. de leg. 1.* quod tamen ipsum, ad civitatem ejusdem territorii, cujus est domus, restringitur, *§. 5. d. l. 41. de leg. 1.*

16. Cum verò quædam res sint in commercio privatorum, huic tamen aut illi acquiri nequeunt, disting. An quidem sint in commercio legatarii, & non heredis, & hoc casu legatum est validum, *l. 9 §. 3. de leg. 2. l. 34. de V. O.* vel, An sit in commercio heredis, & non legatarii, & tunc legatum adeo inutile est, ut ne æstimatio quidem debeat, *l. 49. §. 2. de leg. 2. add. l. 34. de verb. oblig. Vinn. ad §. 4. l. h. r. n. 6. Harpr. ibid. n. 18.*

17. Res litigiosæ alienari prohibentur, & propterea extra commercium esse dicuntur, illarum tamen rerum legatum validum est. Actione igitur legata hodie dubius litis eventus legatur, heresque obligatur ad litis persecutionem propriis sumptibus, *Nov. 112. c. 1. & Aut. Nunc si heres. C. de litig.* Si verò heres sit in mora, legatarius agere potest actione incerti. Ipse verò legatarius litem in se transferre etiam volens non potest, adeò, ut etsi testator injunxerit legatario persecutionem, tamen non potest. Legatarius verò heredi in judicio assistere non prohibetur, *d. Nov. 112. c. 1.* confer *Carpzov. Resp. Elect. lib. 6. Resp. 26.* Hic Quæstio de Feudis non prætereunda, illa enim nonnulli propter *1. Feud. c. 8.* ad res extra commercium referunt, an legari possint? Quod affirm. de quolibet feudo. Ut & de emphyteusi. Quaritur, an res hostium legari possint? Aff. per *l. 9. l. 98. de leg. 1.* si videlicet aliquando nostræ fuerunt, & jure postliminii ad nos redire possunt, nam si semper hostium fuere, non aliter legatum valet, quam si emi res commodè possint, *l. 104. §. 2. ff. d. t. Dn. D. Ludvv. d. Exerc. th. 4. lit. g.*

18. Res in commercio sunt vel testatoris, vel alienæ, & ita vel heredis, vel legatarii, vel aliorum. Si res ipsius testatoris propria, valet legatum, quamvis existimet legans esse alienam, §. 11. *l. h. t.* imò licet testator rem illam crediderit esse legatarii propriam, vid. §. 11. *l. h. t.* Res autem est testatoris propria, vel in totum, vel pro parte, & quin valeat, tale legatum nullum erit dubium. Heres tamen diversimodè ad præstandum obligatur; nam si res testatoris non in totum propria, e.g. si fundum communem legaverit, tunc heres saltem eam partem, quæ fuit legantis, sive is particulam *meum* adjecerit, *l. 5 §. 2. de leg.* sive omiserit, *l. 67. § 8. de leg. 2. l. 30. §. 4. de leg. 3.* præstare tenetur. Bach. *ad §. 4. l. h. t.* Si verò fundum communem testator legaverit, & post testamentum factum totum sibi comparaverit, totus fundus debet præstari, *l. 8. pr. de leg. 1.* Vinn. *ad §. 4. l. h. t. n. 3.*

19. Sed quid dicendum, si res sit quidem in dominio legantis, sed oppignorata creditori? Legatum valebit, neque disting. an sciverit oppignoratam, sive non, sed saltem circa luitionem, & legatario probatio incumbit, Carpz. *d. lib. 6. resp. 27.* quæ facta heres istam luet, *l. 57. de leg. 1.* si ignoraverit, res cum onere transit ad legatarium, *d. l. 57.* Hoc ita obtinet, si legatum sit res particularis, secus in legato universalis, ubi ipsemet legatarius luere tenetur, *l. 15. de dor. præleg. l. 77. §. 16. de leg. 2. & ibi Godofr. Dn. D. Struv. dict. Exerc. th. 14.* Quod si tamen debitum rei legatæ pretium exæquaverit, ita ut non plus valeat legatum, quàm ipsum debitum, tunc heres luere tenetur, *arg. d. l. 57. Dn. D. Lauterbach Coll. digestor. th. 22.* Vinn. *ad §. 5. l. h. n. 2.*

20. Si res sint onerata personæ sc. heredis, tunc valet legatum, potest enim legari, sicut res propria testatoris *per §. 4. l. de leg. l. 86. §. 3. de leg. 1. l. 25. C. de fideic.* ratio habetur in *Novell. 48. in præf. & l. 2. §. 2. de stipul. prætor. & in l. 149. de R. I.* Quæritur hîc, si testator res heredis suas credens leget tanquam proprias, an legatum valeat? *Aff. per l. 67. §. 8. de leg. 2.* Vinn. *ad §. 4. l. h. t. n. 1.* Si verò rem tertii legaverit, quam suam putavit, tunc non valet, nec æstimatio quidem debetur *per d. l. 67. §. 8. Except. vid. in th. 25. hujus Diss.*

21. Si verò sit honorata personæ, & sic legatarii, tunc regulariter legatum est nullum, *per l. 13. C. de leg. §. 10. h.* adeò ut ne qui-

II.

ne quidem si vivo testatore eam rem alienaverit, legatum convalescat, §. 10 *l. h. l. 41. §. 2. de leg. 1.* & *l. 66. §. 6. de leg. 2.* propter regulam Catonianam, *d. l. 41. §. 2. de leg. 1.* & *d. §. 10. Inst. h. r.* Harpr. *ad d. §. 10.* Hinc etiam debitor non potest creditori legare, quod eidem debet, §. 14. *l. h.* imò & fideicommissum ex eadem causa est inutile ratione ipsius creditoris, licet quoad heredem & fideiussorem, utilitatem aliquam afferat, *l. 49. §. 4. 6. 7. de leg. 1.*

22. Limitatur tamen hoc non uno modo, 1. quoad hunc casum, si amplius quid sit in legato, quàm in debito, *d. §. 14.* quod variè contingit, vid. Suthold. *dict. diff. 10. aph. 32. & 33.* Ex hac etiam ratione maritus dotem uxori legare potest, §. 15. *l. h. t. l. 1. §. 1. & 2. de dote præleg.* adde hinc Dn. D. Ludvv. *dict. Exerc. th. 4. lit. C.* Harpr. *ad d. §. 15.* item debitor creditori suo, quod eidem debet, si scil. etiam plus sit in legato quàm debito. Non tamen si simpliciter aliquid legaverit creditori, compensandum cum debito, nisi apparet contraria testatoris voluntas: Neque hinc disting. inter debitum voluntarium ac necessarium, Bach. *ad Treut. D. 26. th. 12. Fach. §. c. 33.* 2. Si sub conditione res fuerit legata, valet legatum, *l. 1. §. ult. ff. de reg. Caton.* quomodo etiam res nostræ rectè relinquuntur, *l. 98. ff. de condit. & demonstr. Don. 8. com. 13. Pac. cent. 6. q. 7.* 3. Si res legatarii non irrevocabiliter propria fuerit, vid. *l. 82. §. 1. de leg. 1.* Subsistit quoque legatum, si rem legatarii esse putavit testator, cum revera non sit, quia exitum voluntas defuncti habere potest, §. 11. *l. h. t.* Præterea, si res non perfectè & plenè sit legatarii, sed jus aliquod in ea habeat is, qui legavit, vel tertius, & plenum inde & ab onere liberum, legatarius consequitur ejus dominium, vid. *l. 86. pr. de leg. 1. & l. 66. §. pen. de leg. 2.* Hinc fieri potest, ut propria legatarii persona sibi ipsi legetur, *l. 43. §. fin. de leg. 1. jung. l. 15. de capt. & postlim.* Quod si etiam res eo tempore, quo legabatur, fuit aliena, & postea legatarius titulo oneroso eam rem consequatur, tunc pretium rei actione ex testamento petere potest, §. 6. *l. h. t.* & quidem vel totius rei, si totam eam ex causa onerosa acquisiverit, vel si non totam, ejus saltem partis, quam emit, pretium recipiet, §. 9. *l. h. t.* Hinc si legatarius rem legatam dotis loco acquisiverit, dotem legatam petere potest. At si ex causa lucrativa ipsam rem sibi legatam sit consecutus legatarius, legatum evanescit, vid. *d. §. 6. l. h.*

B 2

l. 17.

734

3.

l. 17. de O. & A. l. 82. pr. de leg. 1. Sin verò æstimationem rei ex causa lucrativa alia acceperit, nihilominus rem ex testamento petere potest, *d. §. 6. l. 88. de V. S. Suth. dict. diff. aph. 25. & 26.*

23. Atque hinc quæritur, si cui eadem res sapius sit legata, an sapius quoque debeatur? Et quidem res in eodem testamento bis legata semel tantum debetur, si scilicet species sive corpus legatum sit, *l. 34. §. 1. de leg. 1.* Si verò quantitas eadem eidem duorum testamentis sit relicta, utraque ex utriusque testamento peti potest, *d. l. 34. §. 3. de leg. 1. Harpr. ad §. 6. l. h. t. n. 10. & seqq.* Imò & in eodem testamento sapius relicta, toties etiam est præstanda, nisi aliud testator voluerit, *d. l. 34. §. 3. l. 14. §. 1. ff. d. t. vid. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 13. th. §. lit. 1. Arum. Exerc. 9. th. 7.*

24. De rebus verò *καὶ ἐξ ἄλλου* alienis, an ea rectè legentur, dubium oritur; Et primo intuitu negativa verior videtur, propter *l. 54. de R. I. iunct. l. 20 pr. ff. de acquir. rer. dom.* tum denique, propt. capit. filius. §. extr. de testam. verum hisce non obstantibus, contrarium potius est asserendum, quod rectè etiam res aliena possit legari, propter expressos textus in *§. 4. l. h. t. & l. 39. §. 7 de leg. 1. Harpr. ad d. §. 4. l. h. t. n. 4.* ad hoc scilicet ut heres rem istam redimere, si justo pretio possit, *l. 14. de leg. 3.* aut si redimere nequeat, æstimationem præstare cogatur, *d. §. 4. l. h.* Neque hoc correctum Jure Canonico. conf. Vinn. ad *§. 4. l. h. t. n. 2. & Dd. comm.* Procedit tamen hoc ita, si testator sciverit prudensque rem alienam legaverit, quod legatario probare incumbit, *d. §. 4. h.* Nam si ignoraverit, & habuerit rem pro sua (quod etiam quando de scientia non constat, præsumitur) tunc regulariter non valet legatum, *l. 67. §. 8. de leg. 2. Dn. Carpz. lib. 6. resp. 27.* nisi ad pias causas, aut proximæ personæ, vel uxori, vel alii tali personæ conjunctæ relictum, cui legaturus esset, & si scisset rem alienam esse per *d. l. 10. C. b.* Hanc autem proximitatem, usque ad decimum cognationis gradum extendunt Dd. ad *d. l. 10.* Nonnulli etiam alumnos, præceptores & amicos singulares huc referunt, *arg. l. 10. l. 39. ff. de fideic. libert. vid. Gomez. var. resol. c. 12. n. 26. & seqq.*

25. Præterea sciendum, nihil interesse, si res quæ legentur, sint corporales, siue incorporales, *§. 21. l. h. t.* siue mobiles, siue immobiles. Unde jura & servitutes tam personales, quàm reales rectè legantur, *l. 40. de leg. 1. t. t. ff. de usu & usufr. & redis,*

redit. & hab. leg. t. t. de servit. leg. Item actiones, quæ leganti contra alios competunt; Utitur tunc legatarius utilibus actionibus suo nomine si experiatur, vel directis ab herede sibi cassis, *l. 18. C. h. §. 21. l. eod. add. l. 44. §. 5. 6. l. 84. §. 7. de leg. 1.* Et liberatur hoc casu heres per hanc cessionem, etsi debitor inidoneus fuerit, etsi actio fuerit inutilis, *l. 44 §. 6. de leg. 1. l. 105. eod. Dn. D. Lauterbach ad h. t. th. 27.* Quod si verò quis mobilia, sub quibus regulariter etiam pecunia, nisi fœnori aut emptioni immobilium sit destinata, comprehenditur, *l. 79. §. 1. l. 44. de leg. 3.* aut immobilia, vel utraq; conjunctim legaverit, eo casu nomina & actiones non veniunt, utpote quæ tertiam honorum speciem constituunt, *l. 7. §. 4. ff. de pecul. vid. Treutl. vol. 2. D. 13. th. 4. lit. G. & ibi Bach. Harpr. ad §. 21. l. h. t. n. 13.*

26. Deniq; res legatur vel in genere, vel in specie. In Genere, cum, non expressâ certâ specie vel individuo generaliter aliquid, puta servus equus legatur, *§. 22. l. h. l. 13. de leg. 3.* Ubi tamen disting. ut si species generi subjecta habeat certam à natura determinatam quantitatem, ut homo, bos, equus, hoc casu valet legatum, *l. 13. l. 37. §. 1. de leg. 1. §. 22. l. h.* Si verò non habeat naturâ determinatam quantitatem, sed ex hominum voluntate, *arg. l. 24. §. pen. ff. de leg. 1.* e. g. fundus, ædificium, tunc talia demum debentur, si testator ea in bonis habeat, *l. 71. pr. de leg. 1. Harpr. ad d. §. 22. n. 11. Arum. exerc. 9. th. 10.*

27. Legato autem genere legatarii electio regulariter est, quam velit speciem eligere, *l. 1. §. 22. l. h. t. n. 4. & ibi Vinn.* nisi testator verba direxerit ad heredem, *l. 43. §. 3. de leg. 2.* Electio tamen ista certis inclusa est terminis, ut non optimam sed medianam eligat, *l. 37. pr. l. 110. de leg. 1. Harpr. h. t. ad §. 22. num. 20.* Sic quoque si heredis sit electio, neque hic pessimum eligere potest, *l. 110. de leg. 1.* nisi quantitas sit relicta, & tunc electio est heredis, *l. 4. de trit. leg.* Aliquando tamen genere legato vel etiam pluribus speciebus nominatis expressè optio seu electio conceditur, & tunc dicitur legatum optionis: In quo propter expressè concessam electionem etiam optima res eligi potest, *arg. l. 9. §. 1. de dolo. vid. t. t. de opt. leg. Dn. D. Struv. d. Exerc. th. 16.* Quod legatum hodie purum est, ideoque ad heredes transmittitur, *§. 23. l. h. & dissentientibus iis, aut collegatariis in optando, res sorti committitur, d. §. 23. & l. ult. C. Comm. de leg.* 28. Tan-

28. Tandem notandum, quod non tantum res singulares legari possint, sed etiam quaedam universitas rerum ab universitate juris separata, & titulo particulari relicta; Eaque vel pars bonorum, vel pars hereditatis, *l. 26. §. 2. de leg. 1. l. 8. §. ult. l. 9. de leg. 2. l. 22. §. ult. ad Sct. Trebell.* Neutro tamen casu legatarius fit successor universalis, sed manet particularis, & legatarius dicitur, cum desit titulus universalis, *d. l. 22. Vinn. ad pr. 1. de leg.* sed accipit tantum rerum hereditariarum partem, sine universitate juris (hinc in illum nec activè nec passivè actiones transeunt) Sub hac tamen differentia, quod bonorum parte legata, deducantur onera, *l. 9. de leg. 2.* hereditatis verò parte legata, nondum deductis oneribus, hereditariae res dividendae veniunt, *l. 8. §. ult. de leg. 2.* Casu tamen priori heres habet electionem, si divisionem res possit admittere, an partem, an aestimationem velit praestare, si verò res divisionem non recipiat, ad aestimationem tenetur, *l. 26. §. 2. de leg. 1.*

29. Ultimò observandum, quod non solum singulae res singulis, verum etiam una res pluribus legari possit: priori casu portio unius deficientis non accrescit collegatario, sed manet penes heredem, & auget hereditatem, *l. 84 §. 12. ff. de leg. 1.* Quod secus est in Institutione heredum: his enim sive conjunctim, sive disjunctim institutis, semper portio accrescit, *l. 63. ff. de hered. instit.* Posteriori verò casu, quando una res pluribus relicta: portio deficiens accrescit collegatario, & non heredi. Ista autem conjunctio tripliciter fit, vel re tantum, vel re & verbis simul, vel verbis tantum. De prioribus conjunctionis generibus res est expedita, *propter §. 8. l. h. & l. un. §. 11. C. de cad. toll.* inter illos jus accrescendi locum habere, nisi quod quidam in re conjunctis magis jus non decrescendi, quam accrescendi esse statuunt, Quae tamen divisio non est Juris Consultorum, sed potius Interpretum, vid. *Ungepaur. Exerc. 9. th. 15.* De tertio autem intricata inter Dd. disputatio. Nos tamen inter illos etiam jus accrescendi locum habere asserimus. Plura hinc ponere instituti nostri non permittit ratio, videatur *Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 13.* ubi ad contraria respondet. Add. *Vinn. ad §. 8. l. h. t.* Haecenus de prima objecti parte scil. *Rebus*: Sequuntur jam

30. *Facta.* Exemplo enim rerum, quae legantur, possunt etiam

etiam facta in alterius gratiam juberi, ut passim in materia legatorum videre est. confer Vinn. ad §. 21. *l. h. n. s.* Harpr. *ibid. n. 70.* Generaliter autem testator legando rectè jubet fieri omne id, quod legibus non prohibetur. Unde tria maximè factorum genera à Dd. notantur, quæ legando juberi non possunt. 1. Est illicitorum, ex ratione generali, *l. 5. C. de LL.* Sicut reliquæ testatoris in mare abjiciantur, inutiliter petitur, *l. 27. pr. de condit. inst.* 2. Est inutilium: huc pertinent ineptæ defunctorum voluntates circa sepulturam faciendam, *l. 113. §. ult. de leg. 1. l. ult. §. ult. de aur. & arg. leg.* 3. Æstimationem non recipientium: exemplum ponitur in *l. 114. §. 8. de leg. 1. conf. C. J. A. h. t. de leg. th. 29.*

31. FORMA consistit in eo, ut ultimâ voluntate aliquid directis verbis titulo particulari relinquatur. Et quidem jure veteri, per testamentum, §. 10. *l. de fideicom. hered.* & quidem perfectum, *l. 23. de leg. 3. l. 29. pr. ff. de testam.* Hodiè verò, post exæquationem fideicommissi, etiam ab intestato in Codicillis, *l. 1. C. de Codicill. l. 75. pr. de leg. 2.* vel epistolâ, *l. 22. C. de fideicom.* aut etiam sine scripturâ solo nutu, *d. l. 22. l. 21. pr. de leg. 3.* relinquuntur: modò quinque testes ad minimum adhibeantur, *l. ult. §. fin. C. de Codicill.* Quæ tamen regula perdit officium suum eo in casu, si judicialiter, vel apud acta, coram judice, quid sit legatum, quod sine testibus sustinetur Dn. Carpz. *3. c. 4. d. 32.* Similiter sicut testamenta quædam minori numero testium adhibito subsistunt: ita quoque eâdem ratione legata e. g. ad pias causas, coram duobus ad minimum testibus valent. Idem *l. c. d. 33.* Hinc in testamento etiam inter liberos, absque testibus, sola patris scripturâ confecto, ne quidem legata ad pias causas relicta subsistunt. Idem Dn. Carpz. *6. Resp. Elect. 33.* Quæritur hîc: Sit ne legatum, an verò inter vivos donatio, cum quis in testamento donat aliquid præsentanti & acceptanti? Prius aff. Fach. *5. contr. c. 32.*

32. Hîc expedienda etiam quæstio: An legatum in alterius arbitrium conferri possit? Et sanè, si in heredis merum arbitrium confertur, regulariter non valet, *l. 43. §. pen. de leg. 1. arg. l. 8. ff. de O. & A.* aliter verò, si tantùm secundum quid, arbitrio heredis committatur, *l. 7. §. 1. ff. de reb. dub. l. 11. §. 6. de leg. 3.* In legatarii verò voluntatem collatum valet, quasi sub conditione voluntatis declarandæ relictum, *l. 65. §. 1. de leg. 1.* ante quam de-

claratio-

clarationem nec ipsi aliquid debetur, nec præmoriens ad heredes quicquam transmittit, *l. 69. ff. de condit. & demonstr.* Extranei verò meræ voluntati commissum non valet, *l. 52. ff. de condit. & demonstr.* valet tamen, si in ejus arbitrium conferatur, *l. 1. pr. de leg. 2.* vel sub conditione aliqua potestativa relinquatur, *d. l. 1. de leg. 2. l. 52. ff. de condit. & demonstr.*

33. FINIS Legati in genere est, ut honoretur legatarius, *l. 3. §. 2. l. 5. §. 6. de leg. præst. l. 11. §. 20. de leg. 3. l. 15. pr. ad L. Corn. de fals. l. 36. pr. de Excus. l. 1. C. Comm. de leg.* Specialis verò pro diversis speciebus est diversus, conf. *C. J. A. th. 46.*

34. EFFECTUS est vel *ex parte heredis*, vel *ex parte legatariorum*. Heredes ut cæteram defuncti voluntatem sub pœna amittendæ hereditatis implere tenentur, *Nov. 1. pr. c. 1. Auth. Hoc amplius. C. de fideicomm.* ita etiam legata coguntur præstare. Et quidem pro partibus hereditariis, *l. 44. de leg. 2.* nisi testator certas partes assignaverit, *l. 124. l. 54. §. ult. de leg. 1. l. 90. de leg. 3.* Et quidem rem talem, qualis est, quamvis sit onerata servitute, *l. 56. de leg. 1.* Et in ea moneta, si pecunia sit relicta, quæ fuit tempore conditi testamenti, non mortis testatoris, *Carpz. l. F. part. 2. constit. 28. def. 8. & lib. 6. Resp. Elect. 21.* Eo deniq; loco, quo relicta est, nisi alibi testator voluit, *l. 47. pr. l. 108. pr. eod.* Omnes itidem accessiones, *l. 39. de usufr. l. 44. §. 4. de leg. 1.* sive ex natura rei accedunt, ut in grege, *d. l. 39. de usufr.* in peculio, *l. 8. §. 8. de pecul. leg.* vel ex facto testatoris, ut si aream quis leget, & postea ædificium superstruat, *§. 19. l. h. t. d. l. 44. §. 4. de leg. 1. add. Viinn. ad d. §. 19. l. h. t.* Harpr. *ad pr. 1. de adempt. leg. n. 25.* Nec non fructus: Et quidem post moram, non tantum perceptos, sed etiam percipiendos, *l. 39 §. 1 de leg. 1.* Imò etiam usuras: Non quidam à tempore mortis testatoris, *l. ult. C. de usufr. leg.* sed tantum à die moræ; Non tantum judicialis, hoc est litis contestatæ, *l. fin. C. de usur. legat.* sed etiam extrajudicialis, sive in restituendo, *l. 3. pr. l. 14. l. 34. de usur, l. 87. §. 1. de leg. 2. l. 2. C. de usur.* sive in adeundo commissæ, *l. 32. pr. ff. de usur.* Quas tamen judex pro mora & ratione loci & regionis æstimare debet, *d. l. 39. §. 1. de leg. 1.* confer *Dn. D. Lauterbach dict. Coll. th. 26.*

35. Damnum præterea quoq; heres dolo aut culpa etiam levissima admissum præstare tenetur, *l. 47. §. pen. de leg. 1.* ibique Godofr.

Godofr. excipiendus tamen casus, in quo onerati dolum tantum præstant, & latam culpam; si omne, quod acceperunt, restituere teneantur, *l. 108. §. 12. de leg. 1.* Custodiam interdum etiam præstat, sc. in legato optionis, per *l. 80. §. 2. de furt.* Casum verò fortuitum non præstat, *l. 26. §. 1. de leg. 1. §. 17. l. h. l. 22. §. 3. ad Sct. Trebell.* nisi mora præcesserit, ob quam perpetuatur obligatio, & interitus ad heredem spectat, modò res apud legatarium non fuisset interitura, si canfestim tradita, *l. 47. §. 6. de leg. 2. l. 26. de leg. 3.* Si ex parte etiam res perierit, pars qua superest, nihilominus debetur, *l. 22. de leg. 1.* nisi ea sit accessio ejus, quod perierit, *l. 2. de pecul. leg.* Dn. D. Struv. *d. Exerc. th. 20.*

36. Ex parte legatarii Effectus legatorum est, quod hodie rei legatae dominium statim à morte legantis ipso jure ad ignorantem etiam legatarium transeat, *l. 64. ff. de furt. l. 80. de leg. 2. l. 1. in f. ff. de publ. in rem act.* Ita tamen, si purè sit relictum, non in diem, aut sub conditione: tum si legatarius non repudiet, *d. l. 80.* Hinc si heres rem legatam alienet, in suspenso est dominium, vid. *l. 15. ff. de reb. dub.* adde Magnif. Dn. D. Rebhan. *Hodog. Jur. pag. 354.* Quando enim agnoscit legatarius legatum, nunquam facta illa alienatio videtur, si verò legatarius repudiet, tunc alienatio valida est, & retrahitur dominium, per *d. l. 15. de reb. dub.* Legatarius autem, si repudiet legatum, totum repudiare debet, non verò ejus tantum partem, sicut nec pro parte agnoscere potest, *l. 38. pr. de leg. 1. l. 4. de leg. 2.* quod tamen secus est, si plures res ipsi fuerint legatae, *l. 5. pr. de leg. 2.* Dn. D. Lauterbach *dic. Coll. th. 39.*

37. Purum itaque legatum, licet antequam præstaretur, mortuus sit legatarius, tamen ad heredes transmittitur, *l. 5. §. 1. ff. quand. dies leg. vel fideic. ced.* Ad purum autem legatum etiam illud, cui demonstratio, *l. 17. ff. de condit. & demonstr.* vel causa est adjecta, *d. l. 17.* pertinent: & utraque licet falsa sit, legato non nocet, *§. 31. l. h. r. & ibi Harpr.* Quin & sub modo legatum purum est, *l. 19. de leg. 3. l. 40. §. ult. ff. de condit. & demonstr.*

38. Dies autem vel certus est vel incertus. In diem certum relictum statim solvi potest, antequam dies venerit, *l. 1. §. 1. ff. de condit. & demonstr. add. l. 137. §. 2. ff. de V. O.* Et notandum, quod in hoc legato æquè ac in puro dies statim à morte testatoris

C cedat.

cedat, *l. 5. §. 1. junct. l. 21. pr. ff. quand. dies leg.* Ad incertum verò diem datum non aliter, quam si dies extiterit, *d. l. 21.* quia is pro conditione est, *l. 1. §. 2. l. 75. ff. de condit. & demonstr.* nisi fortè dies non ipsi legato, sed petitioni & solutioni tantum, adjectus fuerit, quo casu legatum purum est, ideoque ad heredes etiam transmittitur, *pen. C. quand. dies leg. vel fideicomm.*

39. Relictum autem sub conditione possibili, ante conditionis impletionem ac eventum non debetur, nec prædefuncto legatario ad heredes transmittitur, *l. 5. §. 5. ff. quand. dies leg. l. 18. ff. de R. I. l. un. §. 7. C. de caduc. toll.* Si tamen in non faciendo conditio consistat, legatum præstitâ cautione Mutianâ, legatario statim præstandum est, *l. 7. l. 18. ff. de condit. & demonstr. Dn. D. Ludvv. d. Exerc. th. 6. lit. f. & g.*

40. Quod si heres adeò perfrictæ reperiatur frontis, ut legatum præstare recuset, legatarius propriâ quidem autoritate possessionem, (nisi testator hoc ipsum permiserit, *l. 3. ibiq. Dd. C. de pignor. l. 5. C. h. r. & ib. Gomez. Bach. ad disp. 13. lit. B.*) apprehendere non potest; Dantur tamen ei tria ordinaria remedia: 1. Est rei vindicatio, *§. 2. l. h. l. 1. & 2. C. com. de leg.* tunc sc. si res legata verè fuerit testatoris, non aliena, *arg. l. 45. ff. de R. I.* 2. Actio personalis, ex testamento: quæ ex quasi oritur contractu. Quo heres adeundo se obligat legatariis. *§. 5. de obl. ex quasi contr.* Hisce duabus, (quarum una tamen electa expirat altera, *l. 76. §. 8. de leg. 2. l. 84. §. ult. l. 108. §. 2. de leg. 1.*) adjecit Justinianus tertiam, sc. hypothecariam, per quam in quascunque res, à defuncto relictas, præter eas videlicet, quæ legatae sint, *l. 45. ff. de R. I. Vinn. ad §. 2. l. h. n. 4. Harpr. ibid.* adversus quosvis earum possessores, agi potest, *d. §. 2. l. de leg. l. 1. C. Comm. de leg.* Et hæc actio ex consuetudine cum personali non tantum in eodem libello conjungi, verum etiam libello jam producto, & exceptione eliso, una alteri superaddi potest, ut notat Mynsing. *obs. 58. Gail. 2. obs. 26. num. 4. Coll. Arg. h. r. th. 55.*

41. Prædictæ autem actiones non possunt institui, nisi post aditam hereditatem, *l. 14. C. de fideicomm. & arg. l. 181. ff. de R. I.* Quod si heres fortè tergiversetur, dies adeundi ipsi à Præ-tore præfigi potest, *l. 23. §. 1. ff. de hered. inst.* Et si adhuc recuset, legatarius in possessionem bonorum hereditariorum mittitur, *l. 1. ff.*

l. 1. ff. quib. ex caus. in poss. eat. olim quidem univerforum: hodie verò pro qualitate legati vel fideicommissi. Actionibus etiam hisce non tantum res ipsa legata, sed etiam fructus, & usurae, à tempore morae petuntur. Et omnia praestanda, ad quae heres est obligatus, *l. 87. § 1. ff. de leg. 2. l. 26. de leg. 3. pr. l. 14. ff. de usur.* Dn. D. Ludvvell. *d. disp. th. 7. lit. f.* Quæritur hinc? An legatarius viâ executivâ pro legato consequendo agere possit? Affirm. vid. Dd. *ad l. fin. C. de Edict. D. Hadrian. toll. Carpz. l. F. part. 3. const. 13. d. 35.* adde Mynsing. *5. obs. 61.* Berlich. *part. 1. conclus. 80. num 10.*

42. Superfunt legatorum CONTRARIA. Videlicet *Ademptio, Translatio & Deminutio*. Hactenus enim exposita vigorem suum obtinent, modo testator constanter ad extremum spiritum in voluntate perseveraverit. Aliter verò se res habet, cum eandem mutaverit; Siquidem ambulatoria hominis est voluntas, usque ad extremum vitæ diem, *l. 4. ff. de adim. & transf. leg.* Quod usque aded verum est, etiam testator expressè in testamento suo dixerit, se nolle à voluntate sua recedere, *arg. l. 22. ff. de leg. 3.* Imò etiam si hoc juraverit, *Fach. lib. 4. controv. cap. 8.* Hinc de ademptione legatorum paucissimis agendum est, quæ fit per ademptionem in specie sic dictam, vel per translationem.

43. Adimuntur legata! vel *expressè & quidem i. verbis.* ut si in eodem testamento vel codicillis contraria mens testatoris exprimitur, *pr. Inst. de adempt. leg. l. 3. ff. eod. l. 17. C. de leg. vel etiam sine codicillis, nudè revocantur legata, l. 3. §. fin. de alim. leg. l. 18. l. 22. de leg. 3.* coram quinque testibus, *arg. l. 14. §. 1. ff. de adim. leg. l. 35. de R. l.* hinc non probatur eorum opinio, qui duos sufficere putant, vid. Bach. *ad Wesenb. de adimend. leg. n. 3.* Dn. Carpz. *3. c. 4. d. 31.* Qur: hinc: Si defunctus à legatario fideicommissum præstari voluerit, an revocato fideicommissio, revocatum censebitur legatum? Neg. per *l. 60. de leg. 2. arg. l. 17. de leg. eod.* vid. Bach. *ad Treutl. vol. 2. disp. 13 th. 4. lit. f.* Dn. D. **Lauterbach** *dict. Coll. ad tit. de adim. leg. th. 12.* Aut 2. *Factis* directò ad ademptionem tendentibus: quando testator illud, quod in testamento scriptum, inducit aut cancellat, *l. 2. 3. & 4. ff. de his que in test. delent. & l. 16. ff. de adim. leg.*

44. Vel tacite, quando ex quibusdā factis colligitur ademptio, ita ut obstet petenti exceptio doli, *l. 3. §. fin. h. l. 4. §. 10. de exc. doli. l. 36. §. 3. de milit. testam. l. 11. §. 12. de leg. 3.* Bach. ad Wesenb. *h. t. n. 4.* ut si inter testatorem ac legatarium capitales interveniant inimicitiae, *l. 9. ff. de his que ut indign. d. l. 3. §. f. b. r.* vid. Mascard. *in tract. de prob. vol. 2. concl. 900. n. 1.* Tacite quoque legatum ademptum videtur, cum testator rem legatam vivus alienavit. Ubi tamen circumstantiæ exactè considerandæ veniunt, in primis causa alienationis: ita ut necessaria alienatio non censeatur animo legatum adimendi facta, sed saltem voluntaria, *l. 11. §. 12. de leg. 3. l. 8. pr. de leg. 1. l. 15. h. t.* ut puta, si fortè alii donaverit, vel cum necesse non erat, vendiderit, *l. 18. ff. de adim. leg.* Quod procedit, etsi donatio non valuerit, *l. 15. ff. de adimend. leg.* Hæc tamen præsumptio, cum non sit juris, & de jure probationem in contrarium admittit, *d. l. 11. §. 12. de leg. 3.* add. hîc Dn. D. Struv. *dict. Exerc.*

45. Interdum etiam ipsa lex legatario adimere potest legatum: Si nimirum legatarius propria autoritate invito heredem rem legatam occupet, *arg. l. 13. ff. quod met. caus. l. 176. ff. de R. I. l. 6. & 7. C. Vnde vi.* vel, si improbè legatarius testamentum quasi inofficiosum aut falsum accuset, *l. 8. §. 14. ff. de inoff. test. l. 1. 2. & t. r. ff. & C. de his, que ut indign. hered. aufer.* Quæritur hîc: An illud legatum, quod legatario à testatore graviter decumbente relictum, tacite ademptum videatur, si postea testator convaluerit? Neg. nisi testator hoc modo legaverit: *Lego Cajo fundum Sempronianum, si in hoc morbo decessero, non verò si nullam instantis periculi mentionem fecit, Mantic. de conject. ultim. volunt. lib. 12. tit. 2. n. 5.* Sequentem quoque lubet intermiscere quæstionem: Num legatum per alienationem voluntariam post testamentum conditum, revocatum procedat etiam in legato Ecclesiæ vel piæ causæ relicto? Affirm. *arg. l. 24. §. 1. ff. de adim. leg. arg. l. 58. ff. de manumiss. testam.* Harpr. *ad §. 12. l. de leg. n. 10.*

46. Quemadmodum autem legatum adimi, ita quoque ab una persona in alteram potest transferri. Cum in testamento, vel in codicillis, aliove modo legitimo legatum ab uno ad alium transfertur, *§. 1. Inst. de adempt. leg. l. 5. 6. ff. eod. l. 89. ff. de condic.*

condit. & demonstr. Et hæc res tacitam ademptionem inducit: licet hic posterior sit incapax, *l. 20. ff. h. t.* Vel ab eo, qui dare iustus erat, ut aliis detur. Aut cum res pro re datur; ut pro fundo decem aurei. Vel denique, quod purè datum est, transfertur sub conditione *l. 5. l. 6. pr. §. 1. 2. b. §. 1. l. eod.*

47. Tantum etiam de ademptione legatorum. Restat ut paucissimis quoque de eorum deminutione, quæ fit per L. Falcidiam, addamus; Quæ ultra dodrantem legare testatori non permittitur, sed semper quarta hereditatis pars penes heredem scriptum remanere debet, *pr. Inst. de Leg. Falc.* Hinc heredis etiam gratia, *l. 71. ad L. Falc.* quamvis principaliter testatoris causa hæc lex est introducta, *pr. l. h. t.* Nec solum in legatis locū habet, sed etiam producta deinde ad fideicommissa particularia, per Scrum Pegasianum, *l. 2. C. h.* Nec non ad donationes mortis causa. Et ad alia, de quibus vid. Magnif. Dn. D. Rebhan. *Hodog. iur. p. 357.* Hanc autem quartam heres consequi potest, non tantum retentionis, sed & vindicationis jure; Etiam ante Constit. Justin. in *l. pen. C. h. t. per l. 26. & 73. ff. eod.* Dn. D. Ludvv. d. *Exerc. th. 8. lit. f.*

48. Competit autem quartæ hujus deductio soli heredi, à quo relictum est, *l. 71. ff. h. t.* Ejusque successor, *l. 10. C. eod.* Non legatario aut fideicommissario. *l. 47. §. 1. ff. h. t.* Ne quidem fideicommissario universali. *d. l. 47. §. 1.* Non autem interest, unus heres institutus sit, an plures; Nam in singulis legis Falc. ratio ponenda, ut quilibet quartam suæ partis salvam habeat, *§. 1. Inst. h. t. & l. 77. ff. h. t.* Quod si fortè uno deficiente, portio ejus alteri accrescerit, sive accrescendi sive substitutionis jure disting. ut si portio non onerata accesserit onerata, portiones confundantur: si verò portio onerata accessit non onerata, portiones separentur, & in singulis legis Falc. ratio inducatur, *l. 78. l. 1. §. 13. & 14. ad Leg. Falc.* Dn. D. Struv. *Exerc. 36. th. 3.* Harpr. *ad §. 1. l. de leg. Falc. n. 1. & seqq.*

49. In ineunda autem ratione legis Falc. inspicienda est quantitas bonorum, quæ fuit tempore mortis testatoris. Illa ut sit certa, sunt deducenda: æs alienum, *l. 66. §. 1. ad Leg. Falcid. add. l. 6. pr. C. eod.* Funeris impensæ, *l. pen. ff. de relig. & sumpt. fun.* Et pretia servorum manumissorum, *l. 36. §. 2. l. 39. ff. h. t.* Item quæ legatorum nomine à coherede accepit heres, *l. 91. ff. h. t.* Harpr. *ad §. 3. h. t. n. 1. & seqq.* Imputantur enim tantum

in quartam Falcidiam ea quæ jure hereditario, institutionisve titulo à testatore heres habet: nõ quæ alio jure, *l. 74. l. 6. d. l. 91. ff. b. l. 22. pr. l. 19. l. 4. eod.* Quod secus est in quarta Trebellianica: in quam omnia imputantur, quæ ex quacunque causa obveniunt; nisi eum in finem sunt data, ut integra legata præstentur: *d. l. 91. ad Leg. Falc. Fach. §. contr. c. 15. Arum. Exerc. Justin. 9. th. 17. Hænon. Disp. II. contr. 6. 14. & seqq.* Quæritur hîc: An filius fideicommissio gravatus, duplicem quartam legitimam & Trebellianicam deducere possit? Jure Pontificio duas quartas eum detrahere posse, extra dubium est: propter *cap. Raynucius. 16. extra de testamentis*, ast Jure Civili, ut plurimum, unam quartam deducere posse, Dd. probant: Sed videbimus, annon contraria in conflictu defendi possit?

50. Dantur autem causæ nonnullæ, propter quas Falcidiæ in legatis locus esse nequit: Quarum prima ob privilegium testatoris, *l. 7. C. h. l. 40. ff. b. t.* 2. Quando testator expressè eam in suo testamento prohibuerit, *Nov. 1. c. 2. Auth. Sed cum testator. C. ad Leg. Falc.* Non verò censetur prohibita deductio, si testator jusserit integra sine deminutione legata præstari, vid. *Carpz. I. F. p. 3. c. 1. d. 13. & 6. Resp. 30. Fach. d. lib. 5. c. 13. Hænon. d. disp. II. th. 10.* Cessat etiam Falcidia, si heres non confecerit inventarium, *l. ult. §. 12. C. de jur. delib. d. Auth. Sed cum testator. C. h. t.* Si promiserit, se Falcidiam non usurum, *l. f. C. h. l. 46. ff. b. t.* Falcidiæ etiam locus non est in dote prælegata, *l. 57. l. 81. §. 1. h.* Item in legatis ad pias causas relictis, *l. 1. §. 5. ff. b. t. Auth. Similiter. C. ad Leg. Falc. Nov. 131. c. 12.* Et quidem secundum communem sententiam simpliciter, *Carpz. d. part. 3. constit. 1. d. 16.* Plures casus, quibus Falcidia cessat, vid. apud *Schneidevv. ad Inst. h. t. n. 18. Add. Grass. lib. sent. §. Falcid. qu. 10. & seqq. Harp. ad §. 3. l. n. 15.* Et hæc pro instituti nostri ratione scripsisse sufficiant.

Soli DEO Gloria.

734
3.

Ad supplendam paginam sequentia
Corollaria festinanter apposita.

1. *Quæritur: Si quis pauperibus legaverit, an id legatum possit in unū conferri? Aff.*
2. *Trebellianicam testator prohibere potest.*
3. *Verba commendativa fideicommissum non habent.*
4. *Qui statuto testari prohibentur, Codicillos facere possunt.*
5. *Si legitimi heredes proximiores repudient hereditatem, remotiores verò adeant, codicilli ab his sunt adimplendi.*
6. *Posthumus ignoranter præteritus, licet natiuitate rumpat testamentum, hereditatem tamen vigore clausula codicillaris restituere non tenetur.*
7. *Idem in filio jam nato, sed præterito, vel non ritè exheredato dicendum:*
8. *Vt & fratre, qui testamentum inofficiosum dixit.*
9. *Mulieres in codicillis testes esse possunt.*
10. *Testes in codicillis scriptis subscribere tenentur.*

COTH.

COTHMANNIANI Stemmatis nepos, noster
CNEVELINUS, ecce! neutiquam nepotatur
famamque veterem prodigaliter, turpat
vani laboris otio pigrescente;
Verum patriſſat & decora Majorum
exempla ſequitur. Fallor? an reportabit
fructus quoque pares gloriae? nihil fallor.
Promittit ipſos acer ille ſudantis
vigor atque pietas luculenta. Tu rerum
Arbiter, ô ejus annuas, precor, votis!

Honori & Amori Clariff. Dni. Autoris
l. m. q. litabat

PRÆSES.

CYrrhæus arcem Caſtalij Clari
Commutat almis *Argyropes Scholis*
Phœbus, Cathedras ut Trebocum
Aspiciat, ſimul & Camænas,
Cothmanniani delicias Geni
Miretur. Adſunt cum Duce Delio
Regina Muſarum Thalia,
Calliope, reliquusque Pindus.
Nec mira res eſt. Namque Deas, tuam
Cothmanne, laurum, ceu Themidos ſacræ
Legata, Lesbois per aſtra
Aurea ferre decet cothurnis.
Sic fata ſuadent! Sic *Tibi* divite
Legabit olim *Diva Themis* manu
Legata! quæ *legata?* *Laudem,*
Gloriam, & omne decus Themista.

Ita felices in Jure ſuſceſſus Clariffimo
Dno. Reſpondenti amicè gratulari
voluit


Daniel Protten.

Strassburg, Diss., 1667

X 22842 98

WDM





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Art. 52. Nova. 3.
JURIDICA

34

ATIS, ²⁰

A M, ^{1667 19.}
O OPT. MAX.

SIDE

R O

Simo ac Consultissimo

DO von Stoffen/

gentoratenium Uni-

rofess, Publ. Dno. Fau-

mni honoris ac obser-

m devenerando.

mini submittit

ANNES COTHMAN,

, Autor & Resp.

Mensis Novembr.

ori Horis solitis.

TORATI,

NIS WELPERI.

DC. LXVII.



73.